



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ
Provinciæ Saxoniae S. Crucis**

Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz

Nevhsii, 1706

VD18 10502327

Titulus V. De Oratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

TITULUS V.

De Oratione.

N. 1. **D**ilecto Hymno & manibus ante pectus junctis & demissis ad terram oculis vertit se à sinistro latere ad dextrum versus populum. Et extendens, ad vocem DOMINUS & jungens ad VOBISCUM dicit DOMINUS VOBISCUM. Caput non inclinat versus populum dum illum salutat. Deinde : junctis ut prius manibus re-vertitur per eandem viam. Hoc est iterum vertit se à sinistro latere ad dextrum. Ad librum.

Ibid. Vbi eas extendens & jungens ante pectus caputque cruci inclinans dicit OREMUS. Præter extensionem & junctionem manuum : Cæremoniale Episcop. lib. 2. cap. 8. congruè addit elevationem earundem : & satis patet ex verbis sequentibus hujus Rubricæ : *Tum extendit manus ante pectus, ita ut palma unius manus respiciat alteram, & digitis simul junctis, quorum summitas humerorum altitudinem distantiamque non excedat, quod in omni extensione manuum ante pectus.* Intellige, si Sacerdos erectus & non inclinatus stet, ut Tit. 3. n. 10. cum ante orationem AUFER à NOBIS, dicit OREMUS. *Servatur.* Unde sive tantum dicitur, *extendit manus* : sive, *elevat & extendit* : semper idem est : dum enim dicitur *Elevatis manibus*, nunquam elevandæ ultra humerorum altitudinem : & dum dicitur *Extensis manibus*, etiam usque ad humeros elevandæ sunt : hæc enim elevatio juxta GAVANT, non est ad Mysterium sed ad decentiam.

Notetur & hoc : *Humerorum distantiam non excedat* ; ne eas extendat quasi oraturus in cruce, ut quidam malefaciunt. Ad Orationes, quæ dicit Celebrans Pluviali indutus, non disjunguntur, neque extenduntur manus. In oratione A CUNCTIS, litera N. nomen exigit Patroni seu titularis Ecclesiæ, ubi celebratur, inquit GAVANTUS : unde Sacerdos curet scire, quis sit Patronus illius Ecclesiæ in qua celebra-

lebraturus est : ad quem finem in Sacrificiis ponatur tabella designans nomen Episcopi & Patroni loci. Si autem dicatur Missa votiva de Patrono seu titulari, in Oratione A CUNCTIS, subticendum est nomen Patroni, ne de eo bis fiat mentio in Collectis. Nominare tamen poterit vice illius alium pro sua devotione.

N. 2. *Cum nominatur JESUS caput versus Crucem inclinatur, quod etiam facit, quando nominatur in Epistola.* Non verò quando nominatur in Evangelio ut habetur Tit. sequenti n. 2. *Similiter ubicunque nominatur nomen B. MARIAE, vel Sanctorum de quibus dicitur Missa vel sit Commemoratio.* Item in Oratione pro Papa, quando nominatur, semper caput inclinatur, non tamen versus Crucem. Nomine Commemorationis hoc loco non intelligenda Suffragia communia Sanctorum in oratione A CUNCTIS, sed Commemorationes de Festo simplici vel Octava.

TITULUS VI.

De Epistola, Graduali et aliis usque ad Offertorium.

N. 1. **C**elebrans positus super librum, vel super altare manibus vel ut placuerit, librum tenens legit Epistolam. Illa lecta, debet Sacerdos Ministro dare aliquod signum finitæ Epistolæ; vel vocem mutando, vel faciem aliquantulum ad Ministrum vertendo.

Ibid. Epistola & aliis lectis, Sacerdos, si privatim celebret, ipsemet, seu Minister portat librum Missalis ad alteram partem altaris in cornu Evangelii, & cum transit ante medium altaris caput cruci inclinatur. Et Missale sic locat ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu altaris & non ad parietem sive ad partem ejus contra se directam. Ad Aquilonem legit, **ALCUINUS** cap. de Celebrat. intellige si altare sit ad Orientem: ex quo patet, quod liber sub Epistola & Evangelio diverso modo locandus sit: sub Epistola posterior pars libri respicit ipsum altare & non cornu, sub Evangelio, non altare sed cornu respicit.

N. 2. Lo-